Nobilissimo clarissimoque viro
D. Constantino Hugenio Eq. Zulichemi
& Zeelhemi Domino &c.
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Jam tuta est aegide Pallas & aegis Palladi, dum in eam curam incumbit Auriacus, ut iis artibus ornet Urbem suam, quae militiae praesidia sunt & decora. Verba Imperatoria sunt: civitatem armis decoratam esse oportet & legibus. Vellem tales Celsissimo Principi obtingere Professores, per quos tantarum rerum auspicia illustriora sint. Verum non annonae solum sed et doctorum caritate passim laboratur. D. Brosterhuysio consultum equidem gaudeo. illi penicillum et tabulas ab attenta manu excussisti. Spartam ἑλληνικὴν ornabit, ut qui studio isti addictior olim fuit. Nescio, num togatum incedere velitis an palliatum. Certe hic habitus Graecum arguerit. Rusium iuris hic professorem sibi mercati sunt Amstelodamenses, quod vobis debet, per quos factum, ut abrumperint lenta consilia et procrastinationes primores nostri. Snippendalius aliquis in horto Botanico Herbarum vires prosa non carmine dicet. Alius Ravius e Turcia redux Orientalibus linguis flectet Batavorum linguas. ut iam de studiis cogitare apud nos serio incipiat Mercurius. Satrapa Muydensis à pedibus valet, non à manibus. Hae, ut mortalibus omnibus, duae illi sunt, dextra et sinistra. Hanc, ut ocium fallat, exeret quadrangularium lapillorum iactui, cum tuo rivali. illa linteis involuta vacat à scribenda Belgarum historia. quod viro grave et molestum. Tessela, Borealis ista Vesta, pingit,

Opum suarum mater, sospes, artifex.

In diem Natalem, qui in mensem Martium incidit, nuper lusi haec disticha. Martiam esse Vestalem non memini, ex quo Ilia sacerdos à Marte compressa esse. Mihi musculos Pettemenses misit, hiantes adhuc et à suctione rorentes. Ne crede hoc diens emblema esse et hieroglyphicum.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 174
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4312

Filium Constantinum non in laudem solùm, sed et subsidium
tibi adolescere laetor. Misi illi cum Leidae ageret
Poëmata mea. num receperit, nescio. Heri admissus
sui ad colloquia Ill. Comitis Mauritij. Ubi desierit
nuptiarum Fratris et aulici luxus pericula, meum
Brasiliensis historiae fila leget, et siciubi à vero
aut decoro aberravero in viam reducet. Vander Burchius
à serenissimis Foederatorum Legatis ad dominos suos scribere
jussus, amicos veteres nescire, ut verum comperiam
illud Aristotelis mei, amicitias dispari amicorum sorte
dissolvi. Sed vellicabo illi aurem. Prodijt libellus
in Voetium patrem theologum et filium philosophum. De
argumento non dicam sententiam. Verum à genio scriptoris
non potest non placere. Titulus illi est: Pedis et
Pediculi Dialogus. Legi ego et risi. Sed quia inter
arcana dominationis Theologicae habetur, velim illum
tibi compares per amicos Ultrajectinos. Non paenitebit legisse.
Vides, vir Nobilissime, ut Satyram varij argumenti
corradam, à serijs destitutus. Nec enim vacat de
Nuptijs Gallo-Hispanicis, hoc est politicorum tedijs
aut Cretensium calamitatibus scribere. Quid Tiridatem
terreat unice securus, in te Obsequioque tui quiescam.
Sed pene oblitus eram Tibi commendare architectum
aut fabrum castrensem, à cujus uxore nepotulus meus cognominis
mihi labijs tenus dependet.

Vale Vir Maxime et post domesticos, sorores
Wilhelmiam et Doubletiam, etiam, per intervalla
facetissimam Fratriam, à me saluta, sed tempestive,
ne viduam maiestatem offendat professoris interpellatio.
Amstelod. XV April. CIƆIƆCXLVI.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 174
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4312

In Natalem TESSELÆ,
qui Martÿ fuit XXV.

Nil tibi cum Marte est, et Tessela nasceris illo
Mense, cui Mavors nomina saeva facit.
Nil tibi cum Venere est, & Tessela nasceris illo
Mense, viro Veneris qui placuisse potest.
Tota tibi Psyche es. coelisq. intenta Deorum
Sedibus, aetheras optima volvis opes.
Tessela, quam felix. cum mundo nasceris et quo
Tempore nunc vernant omnia, verna venis.
Illa dies ipsi risit natalis Olympo,
Et quae te genuit, Tessela, talis erat.
Martius è Pharÿs vinclis exsolvit Iudam.
Abramidesq. illo sidere liber ÿt.
Tu quoq. tunc carae rupisti vincula matris,
Ut coelo posses liberiore frui.
Tessela tu primi placidissima filia Veris
Nasceris et vernis moribus apta places.
Tu molius Ver esse facis, tu nubila pellis,
Te nascente truces detumuere Noti.
Ingeniumq. tuum trux Martius induit, et qui
Saevus erat, genio nunc moliore fluit.
Sic natam, sic vernantem, bona Tessela, fas est
Aut nunquam aut medio non nisi Vere mori.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 174
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4312

Nobilissimo clarissimoq.
viro D. Constantino
Hugenio Eq: Zulechemi &
Zeelhemi Domino Celsissimo
Principi à consiliis &
secretis.

Hagam.

per filium.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 174
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4312